

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Gottlob Friedrich Seligmann

**Virum vere Bonum in ... Viro Dn. Henrico Rudolpho Redekero, ICto ... quos vivere  
dignus erat, e terris in coelos evepto, 18. Febr. Anno 1681. utpote Parentali, die,  
In Solenni Lugentium Panegyri publice delineatum**

Rostochii: Richelius, 1681

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77681074X>

Druck    Freier  Zugang



Seligmann, G. F.

in

H. R. Redecker.

Rost. 1681. B



M.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn77681074X/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77681074X/phys_0002)

**DFG**



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn77681074X/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77681074X/phys_0003)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn77681074X/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77681074X/phys_0004)

DFG

VIRUM verè BONUM  
in  
Magnifico, Nobilissimo atq; Excel-  
lentissimo VIRO,  
**DN. HENRICO RUDOL-**  
**PHO REDEKERO.**

J Cto Confidematiſſ. & in Almâ Rosto-  
chensi Anteceſſore Celeberr. Serenissimi Principis Meck-  
lemburgici Conſiliario intimo & Conſistorii Ducalis  
Aſſeffore graviffimo meritiffimoq; ve,

ante annos, qvos vi v̄ere dignus  
erat, ē terris in cœlos eveſto,

18. Febr. ANNO 1681.  
utpote PARENTALI, die,

In Solenni LUGENTIUM Panegyri  
publicè delineatum.





Nunc

Nobilissimæ

# REDEKERORUM FAMILIÆ,

atqve IIS,

qvos PROPINQVITATIS nexus

Eidem maximè devinxit,

Personis undiqvaqve eminentibus,  
observanter decenterqve  
dicat

Hottlob Friedrich Seligmann/  
P. P.

ROSTOCHII,

Typis JACOBI RICHELII, Scunt, Typogr.



Q. F. B. T!

Præmissis præmittendis.

AUDITORES HONORATISSIMI.

**G**one verò in conspectum prodire vestrum,  
deqve Viro loqui ausim, ob excellentissima  
merita dignitate magna, virtute maximò? Dum tristes Vos  
& ad freqventatum pridiè luctum con-  
sternatos hodièq; conspicor, extra do-  
lorem quasi positus silentia nunc rum-  
pere & balbutiei meæ prodere imbecil-  
litatem egone haud erubescam? Dis-  
vadent argutiæ, hujus aliæs cathedræ  
dulcedines, qvoties concionem vivæ  
voces Vestræ postulant. Absterret Be-

A 2

atil-

atissimus N., honorib[us] eò dignior, q[uo]d  
minus iis q[ui]dqvā debuit: q[ui]os gessit,  
non, ut ornaretur, sed ut ornaret. Re-  
trahit dictionis tenuitas in ipso limine  
confestim timorem incutiens ac vere-  
cundiam. Subit animum temerarius  
satis conatus Scriptoris pauperculi, q[ui],  
partem immortali Argenidis operi af-  
suendo exemptum cetera infelicitatis  
terrenæ insultibus infelicem reddidit  
Barclajum. Parùm abest, q[ui]n & abs  
me credam indiserto in Disertissimum  
peccari, q[uo]d ultra laudes omnes eve-  
ctum laudare tanto coram confessu sus-  
ceperim. Nostis, Auditores, abs com-  
mendabili Oratore gloriæ sempiternæ  
commendari Ciceronem; abs Pictore  
ex opere celebritatem nocturo pingi A-  
lexandrum voluisse. Tametsi verò eâ  
erat modestia Magnificus Redekerus,  
ut in vireshasce, si prælens esset, non sit

inqui-

inquisitus tamen rigidè: vos tamen ut  
verear, vel hoc solum urget, qvod haud  
qvenqvam fugiat, qvanta tantis sint  
danda virtutibus. Ignoscite fluctuan-  
timenti fatentiqve candidè; qvam dif-  
ficultates facilè abripiunt, media eva-  
dendi vix reducunt in viam. Ipsi cer-  
nitis, haud vanô eam metu adfici, &  
paratam licet, dum huc progredi me  
passa est, ad solvendū Redekero ultimū  
pietatis officiū, meritò tamen infantiae  
suæ consciā intra has angustias hæsi-  
tare. Sed, redit ad se, vultum vestrū  
contemplata. Spirant oculi favorem;  
Ora pollicentur silentium. Promit-  
tunt attentionem aures; Adeò Vobis  
placere Redekerum hâc benevolentia  
ostenditis, ut nec infacundus displicere  
Orator possit: Adeò efficaci me instru-  
itis fiduciâ, ut si nihil præter Redekeri  
saltim historiam enarravero, de Vestrâ

-item

A 4

nunc

nūc gratia desperem nullus. Expectetis  
igitur Vitam Magni Viri; At sub querelis  
percipiatis, sub suspiriis audiatis **BONO**  
**PUBLICO EREPTUM.** Tota Rede-  
keri indeoles erat, **BONUM** esse. Sæpè  
ipse quæsivit, cui faceret benè. Justi-  
tia, vita; beneficentia vita Redekeri.  
Compendium ejus: Vixit, egit, pro-  
fuit; hæcque omnia penè in compen-  
dio, acerbioribus inde gemitibus prose-  
qvenda. Qvam ob rem **BONUM** Te  
prædicabo Beatissime, bonique publi-  
ci Damnō tam subito Te excessisse, ju-  
bente veritate, asseram. Hoc titulo, si  
adesses, vel ipsa Tibi mea oratio arride-  
ret, quem solum, Boni publici amantis-  
simus, omni absq; Ambitione, ambiisti.  
Hoc titulo nec Vobis, Mecœnates Ma-  
ximi, Patroni Optimi, ingrata fuerint,  
quæcunque attulero; Vobis, qvos sibi  
Bonū publicum tot tantisque jamjam  
meri-

meritis vindicat. Scio quippe ea de-  
mum absqve tædio adverti, qvibus aliæ  
curarum moles absqve tædio incum-  
bit. Tu autem florentissima floren-  
tioris ætatis corona in desideratissimo,  
eheu! Præceptore Tuo mecum cupi-  
dissima spectabis, qvæ politurus Te  
sibiq; similem perfecturus, cum deside-  
ratum amplecti posses, intenderit. Sic  
quereris ipsum ferventius, sic curatus  
ad metam, spe Bonorum Tibi præfi-  
xam, eniteris.

Revertatur ergo in mentem, velut  
in orbem, prim⁹ seculi hujus quadrans,  
resplendescat in illō 14. Septembris dies,  
Nostro natalis: exhibeat se Patria Os-  
nabrugum, pacis dein, cui nuperam  
rursus superstructam novimus, una  
cum Monasterio, officina. Proh! qvanta  
simul tribus fermè verbis complexus  
sum. Vigesimum qvintum hōc secu-

lō annum varia insignire voluerunt.  
Hinc urbium incendia atque expugna-  
tiones, illinc præveniens sicariorum un-  
datis insidias struentium vindicta. Mox  
qvidem Reformationes Academiarum,  
Regum festa coronalia, at & disparitio-  
nes celsissimorum siderum Philippi Ju-  
lii, Stetini Ducis; Joachimi Sigismundi  
& Joachimi Ernesti, Brandenburgi  
Marchionum; Jacobi Britanniæ Regis;  
Mauritii Nassovii, Principis Auriaci,  
Friderici Saxoniæ Ducis; qvin & Eitel  
Friderici Cardinalis & Episcopi Osna-  
brugensis. E medio autem cœlo Re-  
mi JCti amissum splendorem conve-  
sta est Norimbergensis Respubl. At-  
que hæc antecessere partim, partim sub-  
secuta sunt Septembrem; Quem i-  
psum, qvæ arctum videre tempus per-  
misit, Diariorum notavit haud ullum.  
Sic inter media quasi mala, bonis non

adeò

adeò multis intercedentibus, BONUM  
nasci oportuit. Dat aliâs Autumno  
principium September. Autumnilaus  
præcipua, augmenta frugum, qveis no-  
men debet. Dubitesne verò à BONO,  
inter fruges nato, fruges semper sperare,  
semper decerpere licere ? Aranearum,  
est suum tantum laborare in usum, ha-  
rumq; objecerat aliquâ vermi serico,  
qvod aliis modo natus deprehendatur.  
Sed benè pro Serici Patre Apologus re-  
spondet: An nescis bonum esse diffusi-  
vum sui ad aliorum transire utilitatem ?  
qvisqvis sibi tantùm natus est, orbi inuti-  
lis est. Aliis apes laborant bovesqve, aliis  
vellera oves gerunt, poma arbores: vilis  
est, qvi sibi tantum servit. Scilicet, vi-  
dentur Althææ similes BONI, reddentes  
pingvius solum qvodvis, in qvô serun-  
tur. Nil venenati morsus oblunt homi-  
ni, eorum consiliis nixo. Morbis ani-

B

mi

mi caret, qvisqvis Bonis obseqvitur.  
Triplex in uno Trismegistô Bonum an-  
tiqvii laudant. Sacerdotis, Philosophi,  
Regis. Æqvalitatem hæc diversa, qvan-  
doque penè adversa, in uno reperisse  
mirere magis; qvam in Cupressô, eâ  
dem surgentes mensurâ ramos. Inte-  
rim cui ipsum nascendi tempus æqvas  
voluit diei ad signare & noctis horas, exi-  
miam non raro in talibus felicitatem ex-  
periri solet. Qvanqvm enim in ani-  
mum nihil superiora, aliqua tamen in  
corpus possunt; cujus temperamen-  
tum illius mores, ingeniorum exercitia,  
nonnunqam seqvi animadvertisimus.  
Gratulare idcirco Tibi de anni 25. æqvi-  
noctio, Osnabrugum; qvod Redeke-  
ro Bonitatis laude Inclito primitias de-  
disselucis, æqva æqvo animo organa tri-  
buisse censemur. Seculum tūm efflu-  
xerat ab infasto tumultu, qvo seculi

im

B

supe-

superioris 25tō annō civium Te , Se-  
natus ac Canonicorum dissidia turba-  
verant. Nec nunc erat adeò speranda  
qvies, Potentiorum mentibus ad bella  
undiquaque magis atque magis exarde-  
scētibus : Sentiebas Episcopi, cuius  
jam meminimus, mortem. Pōst, Da-  
nos hostes ante portas, imò victores in-  
tra portas, W artenbergium Tuum eji-  
centes, cernebas. Abs Svecis denique  
magno indipiscebaris pretio, qvò mi-  
nus devastarere. Inter hæc en DEI  
benignitatem summam ! Tui meminit  
Tutor Amicusq; summus. Tales intra  
Te prodire jussit, in qvibus tranqvillæ  
æqvitatis bonitas omen, tūm nō statim  
perspectū, poste a satis declaratū, mon-  
stravit ; Omen , æqvitatum pacis abs  
Tuis qvoq; conclavibus universæ Ger-  
maniæ, penè dixerim Europæ, expe-  
ctandarum. Eqvidem Majorum suâve

munod

B 2

luce

luce non adeò conspicuus Nostro Ge-  
nitor contigit. Nomine CHRISTOPHORI  
gavisus est, conjugemq; habuit CATHARI-  
NAM LANDWERSIAM. Utrosq; ve tamen  
boños novimus & honestæ vitæ. Esto  
autem felicitatis humanæ pars non infi-  
ma & Majorum fulgere, ut propriâ lau-  
de. Ingentem nihilominus ac magnum  
verè eum dixisse meritoq; videbor, qvi  
destitutus ceteris, suæ unius virtuti de-  
bet, qvidq; fastigii & caritatis ade-  
ptus fuerit. Nitorem non sumit aliun-  
de; sibimet circumfundit primus; qvô  
pariter se & posteritatem illustret. Cre-  
diderim vero facilius acceptam amplifi-  
cari gloriam, qvam magnitudinem ac-  
q; viri, qvam nullam habeas. Sunto pro-  
in & Tuahæc Encomia, Beatissime Re-  
dekere, qvod industriâ singulari perru-  
peris tenebras, in qvibus natus; ipsisq; ve  
progenerantibus gloriam, bonus filius

bonum

bonum præmiū, progeneraveris. Non  
exiguo sudore Tibi labor iste constitit.  
Verūm ita constitit, ut omne, aliis gra-  
vissimum levissimum, Tibi æqvè ac sva-  
vissimum existeret. Qvī enim qvid-  
qvam duri aut aduersi eum angeret, licet  
tangeret, cui cœlitus adplaudit, per  
qvem ruunt, stantqve cœpta atqve facta  
nostra omnia? Obnubilabant patriam,  
cum nascereris, tenebrarum tristia. Fla-  
grabat superstitione in ceremoniis: idolo-  
mania in cultu, error in dogmate, ty-  
rannis in politia. Sed augustior septi-  
mus à nativitate annus. Abs Svecis an-  
tea affectum nunc refectum Osnabru-  
gum; qvod, datō in Gustavō, Gustavi  
Regis filio, Episcopō ad lucem æternæ  
veritatis reduxere. O beatissimum, in  
terris fulgorem, à qvo pendet is, qvem  
in coelis expectamus! O expectatissi-  
mum Tibi, Beatissime; qvō Tuō animo

ut ad beatā gaudia ita ad Scientias qvoq; janua ostensa est. Existimamus, nec immeritò , providentia beneficium, cùm Bonis in hanc vitam & ad meliora indies emergentibus ingressus datur. Qvoties namq; PROMOTA MORTALIUM bona BENIGNE CUPIT Deus N. TALES IN TERRAS DISPENSAT QVOQVE, QVI OMNIŪ OPTIME DESTINATA PERFICIENT. Qvos dum molitur natura ac fingit, de suis propemodum, qvidqvid rarum est, confert thesauris. At latitarent hi abditi, nisi exponendis iis atqve explicandas statuta scholæ forent; Scholæ, Ecclesiæ atqve Reip. seminaria. Dabitis hīc veniam Auditores in Caroli M. laudes brevissimis evaganti. Tanti Herois auspiciis factum est, ut Italia, Gallia, Germaniaq; terrarum Magistra venerabilis , Musa cœlestis & Camœna legatorum ( ut de Chartagine refert

sert Svidas) adpellari queat. Tantum Imperatorē non puditum est, Nobiliū æque ac ignobilium puerorum profectus explorare; hosque præferre illis, qvod majorem literis impendissent operam. Tanto etiam Augusto sua & Minervia & Minervalia Osnabrugum debet. qvī possemus, Bono Nostro qvæ evenere bona dum evolvimus, tanti Principis dememinisse § PROMOTI IMPERII MONUMENTUM Mazarin⁹ jam moribundus, i. e. Collegium qvoddam suis extructum sumtib⁹, extare voluit. Credite, primum ferè Osnabrugo ad lucem reverso felicitatis specimen in Schola qvoq; repurgatā adparuisse: Ipsi Redekerō è delineatione istinc prima picturæ ultimæ pependisse perfectionem. Cochlides narrat Plinius è glebis erutas in Arabia; si melle excoquantur, sordibus expurgatas enitescere, Cochlides

corda

corda dixerim, mel purgans ista mellifluam Præceptorum vocem: Felix, qvem fata in hoc meliora manent, ac Ludovici Gallorum XIII. fuere, qvi vanis se delusum crepundiis queritur, & pro crimine habitum, si quis res serias ludis miscuisset. Noster fidelitatem Præceptorum deprædicavit, ipsum eruditio[n]is fastigium eandem demonstravit. Patriæ autē per Ann. quatuordecim sedulus inhæsit Scholæ, utq[ue];, quæ semel hausta firmiter menti impresserat, aliorū assensu confirmaret, consecravit annum Hannoveranæ. In nimiam laboremur prolixitatem, si & hujus moliremur præconia. Rostochium nos vocat; quod in matriculâ legere Redekerum ad omnia præparatum Anno Seculi 47. gavisum est. Disputent de nominis Rostochiensis origine, quibus variarū conjecturarū congeries absq[ue]; nauſeā grata est.

est. Rosetum fuit Rostochium Redekerо ; i. e. dulce Asylum atque tutum, Receptaculum. Tot pene Academiarum in Imperio, quod Principum Familiae ac Aulae numerantur. Patebant igitur alias quoque vias ad eminentia honorum culmina. Sed Providentiam Dei Tui Boni, Bone, hic agnoscis, laudasque singularem. Imo habuisti, cur laudares. Per annum audieras tresque menses Magnum SCHNOBELIUM, cum publice FIDEI JUSSORES exhiberes ac defenderes. Hi Bonum jam Te ostendebant, hi spondebant Bonitatis Tuae incrementum, eodem successu, ut Magnificus COTHMANNUS Filio suo Ernesto contubernalem Te adsciceret. Nimirum, quo viveres aliis, quoad viveres, ne primis quidem Academicorum studiorum annis Tibi vivere potuisti. Acceptum decus tribuere Rostochio debebas ; Juventutis

C

ergo

ergò tūm Decus prima cura Tua. Utinam post biennium non defloruisset flos amoenissimus ! alendo ac fovendo fecisses in qvibus vis Tibi simillimum. Verum enim verò subsistendum (ita loqueris ipse, lineas vitæ ducens) in providentiâ divinâ tuis conatibus fuit. O qvàm delectat mentem hæc confessio ! Tuæ virtuti nihil ; omnia dirigenti Deo adscribis. Sinistris fatis animum opponis immotum ; semper idem, ut aliis licet ad pareat Deus, eâdem tamen rursus ab ipso facie mox respiciaris. Succurrit hōc locō Viri cujusdam devotipia meditatio, qvi, cogita, inquit, Filiorū nos modestiâ delectari, ipsosqve disciplina tristiori contineri. Idem Tibi de Deo liqveat : Bonum Virum indulciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat. Ita Tu, Redekere optime, ut Bonus evaderes, per mala bonis

nis mixta ad excellentiorem Bonitatis  
gradum ire jussus es. Nec valuit huc  
tendentis obliuisci Optimus, Maximus.  
Inieras rationem continuandorum stu-  
diorū dubiam; certam reddebat Gene-  
rosissimus ULFSPARUS. Hunc Regia Sve-  
ciæ Majestas Wismariæ; ipse Te filii u-  
nici ultro constituit Ephorū. Didice-  
ras en. abs formatoribus Tuis formare  
Juventutem. Nōras factum jam fermè in  
Te ex Mercuriô aurum; qvā Ferdinan-  
dus III. divinam vocat Metamorphosin.  
Diligens ergo, ut doct⁹, vigileras, veriq;  
amator & alieni comodi promotor, ceu  
habet Bononiæ Informatoris Boni Inscriptio.  
Eo evenit, ut, ubi Ulfsparo Paren-  
te extinto Tibi Ephoriæ placeret, ob ra-  
tiones nō unas, finis, Collegia indulgen-  
ti Jurid. Facultati Ampliss. promtissima  
Studioſorum freqventia subscriberet.  
Dum auribus simul atque naribus respi-

8161

C 2

rare

rare capram arbitrantur hieroglyphici,  
in eâ acutè audientis qværunt imagi-  
nem: De cuius veritate ipsi videant.  
Minimè autem abs veritate abscesserit,  
qui Auditoribus aures naresqve ad at-  
trahendum velut doctrinæ Spiritum pa-  
ratas gerentibus, ipsam docentis prom-  
titudinem adaugeri fuerit opinatus.  
Plumeæ aures, qvas Oto tribuunt, plu-  
meam qvoqve lingvam gignunt: h.e.  
undiqve dispersam & lentam. Incidit  
hæc ponderanti Lex XII. Tabb. SOL  
**OCCASUS SUPREMA TEMPE-  
STAS** esto: ipsi tamen Augusto non  
adeò observata, ut medias etiam in-  
ter faces, ingruente nocte, Sententias  
non rarò diceret. Tu vero qvò minus  
observares, erectæ Tuorum, nunqvam  
demissæ aures cupierunt. His qvi cenc-  
tibus Tibi lumina cordis pervidenda,  
coronæ prudentum religandæ, diade-

mata

mata Sapientum osculanda, prata sine  
floribus permeanda, Maria sine fluctib⁹  
transeunda; verbò Doctores sine loque-  
lā respondentes consulendi fuerunt. Sic  
curiosi⁹ sacra Themidis indagans seduli-  
tate nunqvā non idem, eruditionis aug-  
mento nunqvā non aliis, Antistes The-  
midis certò declarandus eras. Ut decla-  
randuse es certius, Locū Comunem (li-  
ceat sic loqui) de Politicorum peregrini-  
natione locum mutando comprobasti.  
Qvibusvis sua regionibus dedit Dator  
omniū ; eōq; ipso velut ipse ad spectan-  
das eas hominem, ipsum qvoqve Thea-  
rū, illicere voluisse videtur. Philavtiae est,  
qvam Sinensium sumæ superbiæ hodiè  
adhuc scimus ferè propriam, aliis nolle  
nationibus innotescere. Naturam in-  
vertere est, Claudiani Senem seqvi, qvi  
à Veronā proximus, nunqvam vidiit Ve-  
ronam, Postulatilla, ut Nostris inser-

ba2  
C 3

viamus:

viamus : Inservit suis, qvi aliorum gratiam illis, horum percognitâ satis natura, conciliat: conciliat, qvi peregrinatur. Qvinimò dum Erudito, ut fortis, patria omne solum, invènit sàpè peregrinus, qvod intralares svetos per vitam latitanti, non nisi felicissimo obtingeret. Celebrat Noster singularem in Marpurgensis Academiz renovatione Serenissimi glor. record. Gvilielmi VI. gratiam ac Clementiam. Haud celebraret, nisi Marpurgi subsistens, plura cognitus suam ibi cognitionem manifestasset. Marpurgum arx in colle eminentis commendat, qvam inter atque flumen, templum interjacere venustrum legimus. Unde Scriptoribus qvoddam quasi ~~merita~~: ad summum honoris templum non dari aditum nisi per templum virtutis. Abunde id jam didicerat exercueratqve Noster.

Sed

Sed hoc velut Emblemate denuo inci-  
tatus ulterius telam suam pertendit.  
Flumen illud, per qvod ad templum iri  
solet, vi Medicâ fertur clarum, utpote sa-  
nans impetiginem; præstansqve sæpè,  
qvod nec thermæ potuerūt aut lavacra.  
Stet adsertum suo talo. Nobis sufficiat,  
cessâsse qvidem jamjam in Redekerî  
mente, qvicqvid impetiginis ignoran-  
tia modonatis, sæpè educatis, adhuc in-  
serit. At ne rediret forte impetuosum  
malum, ipsum fluminibus immersum  
Sapientiæ perpetuò habuisse animum.  
Idcirkò à fonte ad rivum qvoqve de-  
scendit, à matre ad filiam Colonā, Gies-  
sensem dico Academiam, degustaturus  
hac via fontis atq; rivi matris atq; filiæ s.  
**Consensum** s. **Dissensum**. Nec diu in hoc  
opere laborandū erat ei, qvi alterutrius  
intimorem habebat notitiam. Proin-  
de Heidelbergam properavit, cuius il-

lustre

lustre Athenæum communia cum  
Gallorum Andegavensi initia agnoscit.  
Utinam haud sensisset jacturam Biblio-  
thecæ instructissimæ , qvam Scaliger  
Vaticanâ præstantiorem , optimum  
Germaniæ literatæ theſlaurum, Argen-  
toratensium qvondam Theologorum  
decus, nuncupavit ! Dixerim fermè fato  
fieri, qvod Heidelbergæ deplorans fata  
Argentoratum delatus sim. Nam huc  
& Nostrum fata detulerunt, ut, qvi  
non pauca hactenus agendo, qvie-  
ratqvasi, qvod sibi potissimum egisset,  
aliorum iterum curam in ſe fufciperet.  
Recordabimini Auditores, togâ sagôve  
Clarissimorum Filios Redeckero antid.  
hac concreditos. Nunc ipsis Principi-  
bus, ipſi Illuſtrissimi Comitis Nassovici  
Saræpontani Filio Principi Dn. Ludo-  
vico FRIDERICO ut præficeretur, favore  
excellentissimi Taboris effectum eſt.

Debe-

Debebat in Regum consilia Principum-  
que arcana olim admitti. Ut talia avidi  
introspiceret, prius Adolescentia quæ-  
dam Principis ipso Magistro juvenescen-  
re voluit, & arcana ne dominanti virili  
ætati forent arcana prænoscere. De Ar-  
gentorato, cum exurgeret ibi ac cresce-  
ret indies Schola, adfirmatum, haud  
ullam in orbe Christiano gentem esse,  
ad quam non alius illius fructus perve-  
nerit. Venerare hic fructus Redekero  
obortos: admirare in Saræpontanum  
devolutos. Cœperunt Argentorati,  
continuatis sunt peraulas, probati sunt  
per allegationem in Sveciam. Qvod e-  
nim magna pars orationis nostræ est,  
primis tamen vix labiis aliquantum  
attungi potest, Bonitatem his studiis, his  
itineribus acquisitam, per varia quo-  
modo negotia atque officia diffuderit  
Noster, tempus poscit, ut videamus.

D

Sunt,

Sunt, qvi ad alios mittuntur, venarum  
instar, qvæ pro suo habitu occultam sa-  
lutis aut morbi vim inspirant in patriâ.  
Qvis e potius qvam Dominum fidemq;  
respiciunt, rem patriæ dignitatem, con-  
silia aut silendo , aut annuendo pan-  
dunt. Turbulenti impetu animi hinc  
asperius obloqvendo, illinc renuncian-  
do deteriora, superfluas primùm turbas,  
in necessarias dein convertunt: æqvali-  
bus ingenii vigor accedat, & fraudum  
qvæ parari solent , conscientia necesse  
est. Hanc enim Meleander Barclaji Le-  
gatorum suppeditat ideam. Timonidi  
parem h. e. Meleandri postulatis non  
imparem eventus testatus esset Nostrū,  
nisi ferrent secum qvævis ardua ple-  
rumqve aliqvid impedimentorum. E-  
sto vel viarum Saltim obstaculae exere-  
re , vel, qvod majus est, minus favere  
yaletudinem. Vias plane invias itur in

Sveci-

Sveciam Redekero pestis Daniam adfili  
gens reddiderat: Pestis, cuius terribile  
nomen, neq; ab seo sine horrore nomi-  
nandum, qvem fugâ jussit saluti consu-  
lere. Des bone Deus, ut non tantum  
fugientes non seqvatur, sed & à nostris  
regrediatur prorsum limitibus ad Chri-  
stiani nominis hostes, unde veluti nexu  
qvôdam satis latè videtur progressa! Li-  
bera penitus ut Electoralem DRESDAM,  
ita LIPSIAM quoq; meam, ne vel metus  
saltim benignum hoc Asylum ROSTO-  
CHIUM amplius perterrefaciat. Pestis  
remoram infelix comitabatur febris; ut  
nullum comitibus destituitur malum.  
Sed quid malum dico? Dulcamarum e-  
rat. Ingrata erat sapore primo; propen-  
sa interim cuiusvis inseqventis dulce-  
dinis scaturigo. Revocavit abiturum  
Deus per febrim istam, ut Rostochium  
revocaretur sine febri eò citius: Reti-

nuit in aula Illustrissimi Comitis de RAN-  
zau Holsatiæ splendoris, ut in aula reti-  
neretur Mecklenburgica eò splendidiùs.  
Imposuit tamen iterum breve intersti-  
tium Argentina, tentatum ante Rede-  
kerum nunc coronatura. Disputabat  
ibi de GRATIA gratosissimus, qvo gratiā  
omnium, Bonus, Bono publico datus,  
iplō ad summos titulos parante aditum  
titulo, mereretur. Ita Doctoribus adscri-  
ptum vedit Gallia: vedit; & ab exteris a-  
liàs culta, exterum hunc, cuius virtutes  
deprehendebat exultissimas, coluit:  
Excepit Batavia, & ferè invidit Germa-  
niæ tantum pignus, qvo ipsa orbis Com-  
pendium, intra se præstantius haud ha-  
bebat. Vestro nutui paruit Præsides Ur-  
bis Amplissimi, promtusq; comparuit.  
Abs Vobis stationis hîc fixæ fundamina  
nactus est, stata Vestrorum Juriū funda-  
mina Potentissimo coram Daniæ REGE

sion

vice-

viceversa fixurus. Macte Viri Præsentia,  
Rostochium! Tibi, velut Patriæ; Tuis,  
velut civibus, Parentibus, Fratribus se  
reddidit; virtutē peregrè nitentem tan-  
quam domesticum decus sacravit. Ma-  
cte toro Viri & foro. Forum pandebat  
fori cultoribus: in torum eligebat, tori  
futurum tutamen ex nobilissimâ Schüt-  
ziorum prosapia MARGARETAM. Extra  
hanc quærere Redekerum, erat exime-  
re è conchâ Margaretas, quibus spoliata  
illa splendere desinit. Sine artificio pul-  
chrâ sine artificio amabat, i. e. ultroneo  
affectu complectebatur, atq; explebat  
ipsa quod de Matre sua Margaretâ The-  
saurus prædicat, eam multiplici sobolis  
fœcunditate, Margaritis fuisse, quæ unâ  
pariunt, feliciorem. Duas quippe da-  
bat Filias, unum Filium, HENRICUM RU-  
DOLPHUM. Illas mors sustulit, & alteram  
quidem Sophiam cum iuncti ingressa an-

D 3

num

num esset, inter ipsos Patris amplexus.  
Hunc verò Parisiis adhuc format Gallia,  
ut Gallicæ prudentiæ exemplar in Filio  
superstite relinquit Pater. Sed qvorsum  
meamor Redekeri, qvo Schüziæ suæ  
deditus vivebat, abripuit, ut extra eum  
qværi ipsum non posse affirmârim? Ace-  
to liqvescieri Margaritas pomposa Cleo-  
patræ Caligulæve convivia docuerunt.  
Nostram infelix eheu! partus infirmavit,  
absorpsit. Ita lætitiaæ Redekerianæ splen-  
dor in atram conversus est tristitiam;  
vix imminutā dein delectu, mox auctā  
decessu KOHLBLADIÆ, qvæ damnū prius  
refartura, jactura sua geminabat. Istæ  
sunt fatorū vices, ut publicè qvos subin-  
de felices conspicamur, sine privatis ra-  
rò sint acerbitatibus. At, & istud est non  
adeò cuivis ponderatum solatii genus:  
Occupari curis publicis, ne locum inven-  
niant angores domestici; promoveri

ETIUN

D. 8

ad

ad honoris apicem in qvo lugere s. alienum s. intempestivum. Fecerat Deus Nostrum bis Videlū. Ne viduæ vitæ meminisset, extra Rostochiū agendi anslam nunc civitatis ratio nunc Serenissimorū PRINCIPUM Pacificatio suppeditârunt. Orbārat eum liberis Patrum maximus. Ne prælens desiderare posset, ad circulia Comitia, Consilia Regia & Ducalia mens convertenda fuit. Aut si domi manere eū alia cuperent, talia extitere, ut nullum relinquerent affectibus locum; seu octies administratum generatim s. speciatim per tria non interrupta semestria RECTORATUM spectem⁹. Tandem, quidquid hic amissum est, ELISABETHA HOPPIA, concordissima Conjux, proh dolor! nunc vidua, compenlāsset blanditiis suis; modò fœcunditatis spē, Nata, non nata, in partu mortuane intercepisset. Obtinuit rursum solandi

mos

mos divinus. Qvem enim ex SCHNO-  
BELII Præceptoris Successore veneran-  
do Seni RHANIO celeberrimoqve dein  
LAURENBERGIO substituerat , qvem in  
Ecclesiasticis æqve ac Politicis consulu-  
erat sæpius , deniqve Intimum sibi  
vult Consiliarium Serenissimus Prin-  
ceps ac Dominus , Dominus CHRI-  
STIANUS LUDOVICUS. Inter  
Familiares & Socios Alexandri Severi  
refert Lampridius Catilium Severum,  
omnium doctissimum ; Ælium Sere-  
nianum omnium sanctissimum: Qvin-  
tilium Marcellum, qvô meliorem nehi-  
storiæ qvidem continebant. In Rede-  
kerò hæc Consiliariorum ornamenta,  
doctrinam, sanctitatem, prudentiam,  
excellentius concurrisse si adseruero,  
Vestrūm neminem non invenero ad-  
plaudentem. Sciebat ille , qvid Ta-  
cito Imperatori acclamaverit Senatus:

Qvis

Quis melius, qvām literatus imperat?  
Non ignorabat: ultra hominem prove-  
here qvemqvesolam probitatem posse.  
Perspiciebat, anchoram Statuum Pru-  
dentiam esse; acum nauticam Principis.  
Ne fortè deficeret harum alterutra vir-  
tus, ne ipsa exspiraret gubernationis ani-  
ma, conatu omni annis: & heu! anni-  
fus est! Vidistis tot bona, abs tām Bono,  
sed vidistis! Nil mortale hactenus; nunc  
mortem ipsam percipietis. Hæreo hīc;  
fari vix possum. Tām inopinatò ex  
bonis præsentissimis in eorum absen-  
tiam deducor. Date veniam paulò si-  
lenti. Vos, qvorum cantuatq; sono, an-  
teqvam loquerer, commotus fuit hic  
animus; succurrite bonis per totum  
orationis cursum adlveto, siut B O-  
NUM publico Bono ereptum lugere  
possit.

*Caneba-  
tur.*

Fecistis satis vestro muneri. Quid

E

ego?

ego ? REDEKERUS mortuus est. Insperatō  
mortuus est. Datore vitæ in mun-  
dum veniente mortuus est. Vix plu-  
ra q̄ veo. Redekerus O Magnum  
Nomen ! Præstet nobis , qvōd in deli-  
neando olim civē bohō, Catonis. Qui  
bonus, Redekerus, aut Redekeri æmu-  
lus esto ! Mortuus est Redekerus ; per-  
eam, inquit, dum luceam. Insperatō  
mortuus est : Ignis, qvōd clarior fulsit,  
citius extingitus. Christo q̄ nascente  
mortuus est : certō omine , qvōd à  
DEO commodatus, ad DEUM redi-  
erit. Scorbuto adfectus in corpore,  
qui nihil Scorbutici ferre in negotiis  
poterat ; intensissimo frigori, servidis-  
simus in agendis succubuit. Timidius  
hęc omnia cogitamus, qvām Tu gessisti,  
Beatissime. Magna nobis, Tibi exigua.  
Placidum semper vultum fortunæ ob-  
vertisti

E

vertisti: magno animo mortis prodromos, morbos exceperisti: qvî aliô ipsam aggredere mortem. Vita tua omnibus optata ac utilis, molesta nulli. Manebat ergo Te non dissimilis vitæ exitus. At verò, non tam Tibi, qvam nobis intererat, ut salvus es: nullo Tuo, maximò nostro damnò mortuus es. SERENISSMI PRINCIPIS luctum splendidissimi testata pridiè est Legati præsentia. Utriusque Reipubl. dolorē demonstrant Proceres utrinq; congregati. Omníū Academiz civium turbatos vultus, qvorsum se vertunt, oculi oblervant. Quid? qvod videoretiam mihi Vidaū audire, non præsentem licet, verbis abs Maria Sabauda mutuò sumitis adq; suum accommodatis statum plangere:

Heu, qvanta infelicitas fuisse felicem?

E 2

HEN-

HENRICI RUDOLPHI  
REDEKERI,

JCTI Magni,

Et filiolæ  
ante quadriennium creptæ,  
nullius pignoris reliqui,

Uxor & Mater hic desolata

ELISABETHA HOP-  
PIA,

Hamburgi nata,  
Amore olim concors,  
nunc excors dolore,

Carum utriusq; in utroq; corpore Cor  
suo receptaculo detulit,

Et vivens intulit suum.

Tria igitur hic corda sita,  
duo tantum videnda, imò unicum.

HEN-

s H

Et

Et qvanquam longè absit Filius Pa-  
tris morte afflictissimus , ineluctabili  
tamen jacturæ vix superstitem qvin se  
fateatur, qvis dubitet ? Votum Filii cu-  
jusdam Chytræusex Epitaphio Neapo-  
litano notavith hoc :

Si marmoream licuisset sumere for-  
mam,

Te natu stegeret non alio lapide.

Teget, imò potius reteget & vultu &  
virtutibus Patrem, luctu nunc tectus  
**REDEKERUS FILIUS.** Utinam utrumqve  
detectum terris reliqvisset cœlum !  
Ita precamur omnes unanimi ore ; ad  
preces alias instigamur, verba ubi per-  
pendimus, qvæ in Bibliis Redekerianis  
notata præ aliis ac signata sunt : Ante  
adventum ipsius mali recipitur justus ;  
ingreditur pacem & reqviescit in cubi-  
libus

libus suis, qvisqvis ambulat in æqvitate. Qviescant ossa molliter, qvibus  
urbs regioqve quietis partem non mi-  
nimam debent ! Pacis sentiat fructus  
anima, pacis læpè datrix atqve con-  
servatrix ! Sed absit omen ! Subtrahit  
tur infortunio justus. Subsistat in hoc  
infortunium nostrū, qvod fortunatis  
Redekeri curis imposterum carendum  
nobis sit. Ceterum floreat SERENISSI-  
MUS PRINCEPS CHRISTIANUS Ludovicus !  
Qvām utilis fuerit Meclenburgicis di-  
tionibus Redekerus ; fruendo abundē  
patuit ; carendo ne pateat. Perster  
sub ipsius umbraculo qvies atqve salus  
publica ! Credant nihil de Ipso subdi-  
ti, nisi qvod liberi de Parentibus ; nihil  
Ipse de subditis, nisi qvod etiam de libe-  
ris Parentes. Vigeat ACADEMIA, cūm  
habeat, qvos, Deo laus sit, Redekero  
audil similli-

simillimos ut diu habeat, ro-  
gamus; ne planctus facile novoshæc ca-  
thedra resonet. Vireat SENATUS URBIS  
Amplissimus, subqve tantis CAPITIBUS  
fortunatum Rostochium haud videat  
mutatam per longa tempora fortunam!  
Derivetur in CIVES utriusq; ab utroqve  
Magistratu felicitas. Succrescat Ju-  
VENTUS STUDIOSA, ut Redekeros ex  
Redekeris, bonos ex bonis arctissima  
catena suggerat. Ita cedent benè o-  
mnia, ita bonis bonum erit, venerabili-  
ter recordari Bonorum amissorum.  
Qvod de Redekero promisit sibi Tua,  
RECTOR MAGNIFICE, non sine gratiis de-  
prædicanda invitatio, cui luctuosí hu-  
jus actus splendorem gratissimi, gratiis  
tamen ad Vos qvoqve, Auditores, de-  
rivatis, tribuimus. Te SENIOREM Fa-  
cultatis amplissimæ post Redekerum,

videat

videat ætas multa. Affigant tur-  
bæ ! Sic Bonum Bonoqve publico e-  
reptum in TE non tam restitutum,  
qvam conservatum amplectemur.

Tu vero, beatissime Redekere, habe  
hoc Lapii Tuò monumentum, qvod  
testaturum est luctum eò majorem;  
qvò incomptius conscriptum est:

\*\*\* \*\*\* \*\*\*

Sta. Viator. & lege.

Luge. jacturam. publici.

si. es. pars. publici,

Dole. bona. hic. recondita.

Ne. tibi. forte. qvod. avertat. Deus.

Recondita. non. doleant. alii.

Jacet. hic.

VIR. MAGNUS.

Dignus. publicis. lachrumis.

Omnis. cura. Ejus. publicum.

Nemo;

Nemo. qvi. novit. non. lūget.

Omnium. enim. luctus. avertit.

Publico. bono. natus.

magis. qvam. suo.

Ut. præstantiori. ætate. Senem. sisteret.

Fuit. in. pueritia. Adolescens.

in. Adolescentia.

Juvenis.

Id. patriæ. debuit. Osnabru<sup>go</sup>.

&. Hannoveræ.

plurima. Rostochio.

Ivit. ad. alios.

ut. aliis. ostenderet.

alibi.

in. Juventute. Viros. esse.

Sicqve. ORACULUM. JURISPRUDENTIÆ. evasit.

Qvod. admirarentur. Academiæ.

Colerent. Principum. Aulæ.

Adsciscerent. Magni. conventus.

F

Dignum.

Dignum, qvo. responderet. diutius.

DIVINA. THEMIS.

Amissis, duabus, Conjugibus,

Tertiam, h̄ic, reliquit.

Proq; ea tertiam, substituit, filiolam:

Ipse, nunc, heu, successit.

Nomen, ipsi, titulus, sine, pari, titulo.

HENRICUS. RU-  
DOLPHUS. REDE-  
KERUS.

revicturus, in.

FILIO.

HENRICO. RUDOL-  
PHO.

Vidua. M̄estissimæ.

ELISABETHÆ. HOP-  
PIÆ.

AGNA-

# AGNATIS. COGNATIS.

Bonisqve omnibus.

Paterna. facie. &c. Virtutibus.

solatium. daturo.

Tu. abi.

Et. Rosas. alperge.

Nam. nulli. unqvam. adspersit. carduos.

Cogita. Romano ceteris dñe

Nec. bonis. mors. parcit.

qvi. aliis.

Precare.

Vireant. Boni.

habeatqve. bonum. publicum.

Q. C. I. L. I. Q. diu. Boxhorn. J. J. G. L.

qvibus. refartam. dicat. Jacturam.

Dixi.



AGNATIS COGNATIS

Bonis de omnibus.

Precibus. scie. &c. V. in primis.

lorsum. dario.

Tu spiri.

E. R. Ross. ab origine.

Naturae. quidam. qibet. c. s. idem.

Apud.

Romanos statuis ceterisque  
monumentis addi formula

solebat p.

## POSTERI VIR TUTEM IMITANTOR!

Boxhorn. Institution. Polit. L. I. c. 9.  
p. 173.

Dixi.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn77681074X/phys\\_0049](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77681074X/phys_0049)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn77681074X/phys\\_0050](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77681074X/phys_0050)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn77681074X/phys\\_0051](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77681074X/phys_0051)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn77681074X/phys\\_0052](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77681074X/phys_0052)

**DFG**

# AGNATIS. CO

Bonisqve, omi

Paterna, facie, &c. V  
solatium. datu

Tu. abi.

Et. Rosas. alpe

Nam, nulli, unqvam, adsp

Cogita. c

Nec, bonis, mors,

qvi, aliis

MÈTUT TEM

Precare.


Vireant, Bo

habeatqve, bonum,

diu.

qvibus, refartam, dica

Dixi.



the scale towards document